



## Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

24. Dies Aprilis. Melius est nihil habere; quàm multa habentem, nemini impertiri. Sextus Pythagoricus.

---

---

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

III. Infanabilis est Invidiæ morbus ; nam & in-  
 verecundus quidam pudor ægri, suum morbum ce-  
 lantis, & pessimi morbi qualitas, naturæ repugnat.  
 Ab humana manu curari non potest unquam, à  
 Divina non solet semper. Hoc igitur malum non  
 admittet medicum, spernit medicinam. Cui enim  
 caput, aut membrum aliquod dolet ; medico mor-  
 bum aperit. Verùm, qui ægrotat Invidiâ, quid di-  
 cet! Angunt me proximi bona ? Nam veritas hæc  
 est. Attamen hæc quisque fateri erubescit. Quid  
 quæso te affligit ? proprium malum, an bonum alie-  
 num ? Certè malum tñum incurabile. Itaque hic  
 nullus medicinæ est locus, nulla medendi spes. Un-  
 de fieri poterunt boni, qui sunt in bono mali ? Aut  
 quemodo eos punitura sunt mala sua, quos etiam  
 bona puniunt aliena ? Quis ei poterit subvenire, qui  
 se sibi exhibet invidendo carnificem ? aut undè sibi  
 parabit salutem, qui de salutis materia, facit per-  
 niciem ? Est vitium planè rabidum & caninum, quod  
 alios mordet & rodit, vel saltem aliis allatrat. Huic  
 occinit Vates hoc effato :

*Dum canis os rodit, socium, quem diligit, odit.*

## 24. DIES APRILIS.

Melius est nihil habere ; quàm multa  
 habentem, nemini impertiri. *Sextus  
 Pythagoricus.*

Immiseri-  
cordia.

I. **P**edissequa Invidiæ, est Immiseri-  
cordia, quâ, qui laborant, eos  
dicunt sapientes; hominem ex ho-  
mine exuere, & ad naturæ ferita-  
tem imminere. Feruntur autem quidam in eam  
labem vitio immitis, & malitiôsæ naturæ; quâ te-  
bus aliorum adversis, & calamitate lætantur. Qua-  
les sunt illi, qui nullo proposito emolumento; sed  
tantum, ut pravitati suæ lenocinentur: jucundo ani-  
mi sensu capiuntur, si videant vel hominem discer-  
pi à feris, vel domos incendi, vel ab hoste diripi ur-  
bes, atque agris vastitatem inferri, everti palatia,  
pestem grassari. Alii in eandem inhumanitatem,  
vitiumque deducuntur avaritiâ. Itaque mori fa-  
me, & egestate pauperes, obæratos putrescere,  
multiplici injuria vexari, multos siverint potius,  
quàm quidquam erogaverint de suo. Quos pun-  
git hodiernæ diei tessera. Illud in hoc vitio imprimis  
cavendum; ne ullum penitus, qui miseris conflicte-  
tur, pro ludibrio habeamus; ne vè illius afflictæ  
fortunæ insultemus. Si juvare non potes, aut non  
vis, ne saltem obsis; ne sis unguis in ulcere; ne ca-  
nina musca, quæ sanie miserorum pascatur. Hoc  
faciunt, qui prostratis inopinâ calamitate læ-  
vè nimis illudunt, & adversæ fortunæ ictu lace-  
ratos, acie linguæ iterum cruentant, quos solari de-  
buisse.

II. Quid quod aliqui tam sint immiseri-  
cordes, ut de venatibus redeuntes, magis canum, quàm  
servorum curam gerant. Undè videbis, in aliquo-  
rum domibus, nitidos, & crassos canes discurrere:  
homines autem titubantes, & pallentes incedere.

Aprilis.

Tessera.

311

Audi Chrysoſtomum (a) *Canis tibi magna eſt cura, homo verò, imò Chriſtus ipſe, pro nimio hoc tuo in belluas ſtudio, fame extrema deficit.* Obſerva hodiernæ diei teſſeram: ſatius eſt non habere, quàm multa habentem, non dare egenti. Conſonat illud Divi Ambroſii: (b) *Non minus eſt criminis, habenti tollere, quàm cum poſſis, & abundes, indigentibus denegare.* Tot ergò immifericors tollit bona, quot poſſet præſtare, ſi vellet: ſic multi ornant parietes auro, & homines denudant. Clamat autem domum pauper, omnium egens & nudus, & tu ſollicitus es, quibus marmoribus pavimenta veſtias. Panem poſtulat homo, & equus tuus aurum ſub dentibus mandit. Infœlix, cui tot pauperibus ſuccurrendi eſt poteſtas, & deeſt voluntas. (c) *Totius vitam populi, poterat annuli tui gemma ſervare.* Quot aliorum gemitibus, tu impleſ tua horrea frugibus. Quid igitur te miſerius, quia aliorum ditatis miſeriis? Non eſt tyranno diſſimilis, qui ſolus habet, quod poteſt prodeſſe pluribus. Quidni hic exclamem cum S. Zenone: (d) *O quantarum neces animarum in phaleris pendent ornata matrona.*

III. Hoc facit Immifericordia, nihil ut ſuum credat eſſe, quod eſt publicum. Ut multa unus poſſideat, multa multis, imò plurima plurimis denegat. Hinc ſi aliquis neceſſitate conſtrictus, rogare cœperit, vultum avertit, naturam non recognoſcit; ſuppliciiſ non miſeretur; neceſſitatem non ſublevat, fragilitatem communem non conſiderat, non precibus inclinatur; non lachrymis flectitur, non ejulatu

V 4

tibus

(a) *Ser. de malis à nobis avertend.* (b) *Serm. 31.* (c) *Ambr. de Naboth. c. 13.* (d) *Ser. de Juſtitia.*

tibus frangitur. Profectò si non das egenti, cum pol-  
 cit, non accipies à Deo, cum poposceris. Jacet præ-  
 foribus tuis, Lazarus aliquis, laceris indutus panni-  
 culis, vultu pallidus, omnibus membris tremulus, &  
 tu de foco calefactus, de ingestis cibis tunc tumefac-  
 ctus, vino rubicundus præteris, & non aspicias, imò  
 supplicansem audis & despicias. Quo non dig-  
 nus es supplicio, qui sic contemnis supplicansem.  
 Audi iterum Chrylostomum, non tam è pulpito di-  
 centem, quàm è machina tonantem. (a) *Is, qui est*  
*ad imaginem Dei creatus, tuâ inhumanitate sordescit,*  
*& squallet: malorum verò facies, qui conjugem ve-*  
*ri sunt tuam, auro non modico fulget. Pelles insuper, &*  
*ligna, quibus tegumentum aliquod contexitur, vel si se-*  
*des paranda sit, aut suppedaneum auro, argentoque o-*  
*peritur: at Christi membrum, cujus ob gratiam è cælis*  
*descendit, & sanguinem sedit, necessarius alimentis, ve-*  
*stimentis destituitur. Hic lubet cum Vate exclamare:*

*Tunc cultor Christi spernes in paupere Christum.*

## 25. DIËS APRILIS.

Quæris, quid sit, quod nobis oblivionem  
 acceptorum facit? cupiditas accipien-  
 dorum. *Senec. de benef.*

Ingratitu- I.  
 do erga ho-  
 mines.

**I**ngratus esse ipsi Gratia, nisi execra-  
 tione omni dignissimam ostende-  
 rem Ingratitudinem: cum eam o-  
 mnium mortalium sermo accuset,  
 & con-

(a) *suprà.*